



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

5. Informatio ad humanitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ruere, & dextram Herculis implorare. Adfuit vocatus Hercules, sed hominem increpitans: O piger, inquit, sic currum non extrahes: Abi, manus admolire, boves urge, currum promove; ita Dij aderunt vocati & juvabunt.

Procul igitur à duro mortalium genere torpor, ignavia, desidia, mollities, qualis Sybaritarum fuit, quorum aliquis cum vidisset in agro fodientes, animo scilicet defecit. Nullum illi homines in civitatem suam admittebant opificium, quod cum strepitu exerceretur; atque adeo ne gallum quidem gallinaceum fas erat alere, ne quid esset, quod illis somnum interrumperet. Athenæus lib. 2. Et Smyndirides perditissimus ille juvenis jactare solitus est, se à viginti annis solem neque orientem, neque occidentem vidisse; assiduò scilicet vel in lecto, vel in mensa occupatus erat, si est occupatum esse, inertio otio tempus transmittere. Quod Æneas Ascanio filio præclarissimum documentum dedit, id sibi quisque adolescentum maximè, dictum putet:

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem,  
Fortunam ex alijs.

V. (e) Quòd ex lapidibus prodijisse homines ferantur, admone-  
mur, nonnunquam ex lapideis, feris, & ferreis mortalibus, aliquos mansuescere, & ad humanitatem redire. Nota est historia Petri cujusdam telonæ Alexandrini, hominis avarissimi ac durissimi, qui mendicabulo panem petenti, cum lapidem circumspiceret, quem projiceret, lapide non invento, panem adjecit; à quo tempore mirè mutatus, atque emollitus est, ut torum se in pauperes profunderet, etiam vestibus sibi ad eos amiciendos detractis. Neque verò humanitas ista, quæ ab homine appellationem habet, consistit in solis, ut vulgus putat, verborum ceremonijs, aut nescio quibus gestuum elegantijs; sed in eo maximè, quòd is, qui ea præditus est, nemini nocere, omnibus benefacere ac prodesse cupit; communes hominum navos & infirmitates novit, non odit, & æquo tolerat animo, quoad potest, alios consilio & opera juvat: mansuetè ac mititer agit: affabilis est in congressibus, facile alloquitur, leniter non fastidiosè audit; nec duriter, sed benignè ac comiter responderet; commiserationem erga alios cum quadam suavitate ostendit. Atque hoc potest recta ingeniorum cultura, & bonarum artium doctrina, quæ ad humanitatem excolit animos, & ab insita torvitate & asperitate, quod olim in Themistocle notatum, ad amabilem quandam comitatem traducit.

(e) Informatio ad humanitatem.